

Johann Christian Schmid

**Dissertatio ... De Civitatvm Defensoribvs : Illvst. I. Ctorvm. Coll. Avctorit ... A. D. XV. Novembr.
MDCCLVIII Proposita**


Dissertatio Prior

Lipsiae: Ex Officina Breitkopfia, [1759]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004947968>


Band (Druck) Freier  Zugang





H. K. — 1 (7.)





DISSERTATIO PRIOR 122
DE
CIVITATVM DEFENSORIBVS

ILLVST. I. CTORVM. COLL. AVCTORIT

PRO

L I C E N T I A
HONORES IN VTROQVE IVRE SVMMOS
CONSEQVENDI

A. D. XV. NOVEMBR. MDCCCLVIII

PROPOSITA

A

IOHANNE CHRISTIANO SCHMIDIO

IVRIS VTRIVSQUE CANDIDATO



LIPSIÆ
EX OFFICINA BREITKOPFIA

a.)

152
D I S S E R T A T I O P R I O R
P R O
C I V I T A T V M D E F E N S O R I B V S
I L L V S T R I S T O R V M C O M M A N D A T O R I I
P R O
I O H A N N E C H R I S T I A N O
H O N O R E S Q U I B V S I U R E S V M M O S
C O N S E Q V E N D I
P A A D X N O V E M B R I S I S T A N O
P R O P O S I T A
A
I O H A N N E C H R I S T I A N O S C H N I D I O
I U R I S P R I V A T I C E C A N D I D A T O



D I S T A N
E X O F F I C I N A P R I N C I P A L I S

IOHANNI. VALENTINO
SCHMIDIO
PARENTI. OPTIMO

S A C R V M

Quae animum impulerunt
causae, vt **TVO** nomini,
INDVLGENTISSI-
ME PATER, libellum
huncce, quem non ignoro neque oratio-
nis elegantia, neque doctrinae praestan-
tia et copia vlllo modo **TIBI** posse proba-
ri, inscribere sim conatus, eas tam gra-
ues fuisse intellexi atque iustas, vt fa-
cile conatis meis veniam viderentur
parare atque excusationem posse. Pri-
mum enim **TIBI, PATER OPTI-**
ME, mea omnia, cum ob summum pa-
ternum amorem singularemque indul-
gentiam, quam mihi a prima inde ae-
tate,

tate, quod pie atque suauiter recordor,
innumeris nec obscuris illis sed luculen-
tissimis documentis declarasti, et cuius
magnitudinem adhuc quotidie nouis be-
neficiis augere et cumulare soles, tum
ob solum illud sanctum et venerandum
patris nomen, quod cura TVA atque
prouidentia ita amplificauit atque ad-
huc amplificat, ut hoc inprimis munus-
culum expectare iam et efflagitare a me
posse videaris, iure omni meritoque de-
bentur. Deinde quum haec mea com-
mentatio de Ciuitatum Defensoribus,
qui parentum officia olim ciuitatibus
praestare debebant, sit eiusmodi, ut cum
ipsa muneris TVI grauitate et digni-
tate quandam habeat coniunctionem,
puta-

putavi eam etiam propterea TIBI,
PATER OPTIME, sacram esse
oportere. Patiare igitur, ut hic libel-
lus meus, quem pietatis, obseruantiae,
gratique animi erga TE mei nuntium
atque interpretem esse iussi, commen-
dationem aliquam atque praesidium a
TVA grauitate et dignitate mutue-
tur, eumque eo vultu excipias, quo me
meaque omnia adhuc excipere consuesti.
Id si feceris, nouo beneficio auctum me
et ornatum existimabo, idque vicissim
maximo semper opere curabo, ne TE
vnquam liberalitatis huius paternique
amoris poenitere possit, quod eo inpri-
mis efficiam, ut supremo rerum hu-
manarum moderatori quotidie suppli-
cem,

IOHANNEM CHRISTIANUM

*cem, velit TE quam diutissime sal-
vum, bonisque omnibus cum animi
tum corporis, florentissimum conser-
vare. Ita vale, PATER OPTI-
ME, atque etiam in posterum TVO
favore amoreque amplectere*

Filium obsequentissimum

IOHANNEM. CHRISTIANVM

DE CIVITATVM DEFENSORIBVS
 Q. B. V

DISSERTATIO
 DE
 CIVITATVM DEFENSORIBVS

Praefatio



solent plerumque ii, qui eiusmodi ingenii doctrinaeque specimine gloriam aliquam et laudem consequi cupiunt, in praefatiuncula duplici fere ratione argumentum, cui illustrando explicandoque diligentiae non nihil impendere, atque industriae in animum induxerunt, aliis commendare, ita quidem, ut cum vtilitatem eius dignitatemque modis omnibus laudent atque praedicent, tum multis difficultatibus ipsum illud implicitum esse, densa tenebrarum nube obvolu-

A tum

tum laqueisque propemodum inexplicabilibus irretitum dicant. Neque profecto qui tali commendandi ratione lectorum animos alliciant, omnino reprehendendos esse, sed laudandos potius putem. Etenim alter imprimis commendandi modus a communi quodam laudis studio proficiscitur, quo optimum quemque ipsa natura duce trahi ducique apparet, quodque in eo versatur, ne inutilem rem atque superuacuum plane suscepisse, operamque adeo omnem perdidisse putentur. Altera argumenti commendatio praeter gloriolae studium quandam et providentiam prae se ferre videtur. Ea enim re sibi sic prospiciunt, ut possint sperare, si nonnulla forsitan minus recte ab ipsis accurate vel dicta vel disputata deprehendantur, futuros esse aequos rerum aestimatores atque iudices, qui veniam ipsis vel non rogati propter ipsam illam rei, quam explicandam sibi sumserunt, difficultatem et obscuritatem concedant. Ecquid vero mihi faciendum erit, quum iam rationes Academicae iubeant atque postulent, ut consequendorum summorum in iure honorum causa commentatiunculam aliquam de quadam iuris quaestione proponam? num. commendem illam omni ex parte, an grauem dicam eque difficili doctrinae loco depromptam? Audire mihi videor bonorum omnium ipsiusque naturae acclamantis vocem: Heus! lauda et commenda quaestionis tuae utilitatem; dic grauem illam atque difficilem, ut e tuo quoque labore dulces illos atque
fuaues

suaves laudis et gloriolae fructus colligere, iudiciiue aequi commoda capere possis. At quae tandem vtilitas mutata euerfaque plane reipublicae Romanae forma e tali in nostras ciuitates redundabit? nostrae enim respublicae quos nam habent magistratus Defensoribus Ciuitatum omnino comparandos? Quo igitur ore audebo hunc ingenii foetum, tanquam vtilem nostrae aetati et fructuosum, praedicare et commendare? At bona verba quaeso! noli tu despondere animum, immo bonum accipe acclamationis omen, habebis enim, quo aliqua certe ex parte lectoribus aequis tuum libellum commendabilem facias. Nonne is, qui ea in medium profert, quae vel interpretationem veterum legum et institutorum iuuent, vel ipsi antiquitati, sine cuius scientia verus Iureconsultus esse haberique nemo potest, lucis non nihil afferant, vtilem rem suscepisse suamque adeo operam bene collocasse putandus est? Hoc vnum quidem satis erit ad conciliandum colligendumque commentationi tuae fauorem. Vtar igitur hac commendandi ratione, cum illa meae rei valde accommodata videatur, et ne eam laudem, quam omnes appetere cupide recteque solent, videar contemnere. Verum enim vero quanto magis morem hunc, qui in laudanda commendandaque argumenti vtilitate et pretio versatur, negligere nostrorumque temporum consuetudinem in eo quodammodo videor deferere, tanto maiorem mihi huius de *Ciuitatum Defensoribus* argumenti difficul-

tas facit spem, me alteram illam rationem seruare meumque libellum ea commendare posse. Etenim quum argumentum illud constet, non satis expeditum esse, multisque et magnis laborare difficultatibus, quid est, cur libere id profiteri, hacque ipsa re benignitatem et aequitatem lectorum nobis conciliare dubitemus. Nemo enim, quod quidem meminerimus, hoc argumentum tractare diligenter et separatim instituit. Pauci quidem fuerunt, quorum ingenia et doctrina in pertractando hoc loco elaborarint, in quibus CUIACIOS, PANCIROLOS, ALCIATOS scimus haberi, sed hi omnes non ita accurate rem exposuere, vt omnia exhaustisse viderentur, immo multa aliis reliquisse, in quibus ingenium possent viresque experiri suas. Accedit et hoc, quod illud ipsum argumentum e veteri reipublicae Romanae forma est peti- tum, quam a nostra ratione recedere longe multumque differre nouimus. Age igitur, iam videbimus, an operae pretium simus facturi, si in re paullo difficiliore neque expedita satis et ab aliis nondum diligenter exposita operam nostram qualemcunque collocemus. Quam ob rem te, lector, et si difficultas argumenti de tua aequitate me dubitare non finit, solenni formula iterum rogo atque obsecro, vt, si qua forte minus accurate a nobis dicta disputataue deprehenderis, nobis hanc des veniam, vt errores, si qui sunt, cum rei grauitati remittendos, tum nostrae imbecillitati condonandos esse putes. Nos quidem semper
faciles

faciles docilesque habebis, quum ita simus a natura facti, ut magis doceri quam docere cupiamus. Quare si a reprehensoribus nostris meliora dicta et demonstrata esse intellexerimus, vehementer laetabimur, diligentissimeque cauebimus, ne illud MARTIALIS in nos cadere videatur,

Qui velit ingenio cedere rarus erit.

§. I.

Instituti ratio

Iam, quo melius de opera nostra statui iudicarique possit, id mihi negotii datum esse video, ut, quid consilii in conscribendo hoc libello sim secutus, ostendam. Hac quidem commentationis parte, primum Ciuitatum Defensores quales fuerint, docebo: deinde quomodo munus huius magistratum generis ab aliorum similium officiis distingui secernique debeat, variaque Defensorum nomina, quae in variis iuris ciuilis locis reperiuntur enarrabo: tum eorum originem, quantum coniectura assequi poterò, eligendi rationem officiique ipsius praecipuas partes persequar, et quam diu fuerint in potestate, docebo. Copiosiore vero illam disputationem de genere iurisdictionis quibusue finibus eorum potestas fuerit circumscripta, an praesidem verbi causa ipsi adire potuerint, an de criminibus cognoscere et reliqua, quae huc pertinere videbuntur, commodiori tempore reserua-

bimus.

A 3

§. II.

§. II.

*Qui Ciuitatum Defensores fuerint appellati,
demonstratur*

In municipiis populi Romani plerisque eam fuisse institutam reipublicae administrandae formam, quae imaginem quandam speciemque ipsius reipublicae Romanae referret, nemo nisi rudis plane omnisque expers antiquitatis ignorat. Quemadmodum enim Romae senatus erat, ita in municipiis decurionum collegia constituta fuisse accepimus, cuiusmodi Collegium non minus quam Romae Senatus Amplissimus Ordo ^{a)} dicebatur. Porro sicuti Roma duobus Consulibus superbiebat, sic municipia Duumuiros ^{b)} etiam Quatuoruiros, qui Consulum Romanorum ad exemplum pro fascibus bacillis utebantur, habebant. Quid igitur mirum cuiquam videatur, municipia praeter multos alios Romanis similes magistratus etiam eiusmodi habuisse, qui cum acerrimis istis plebis Romanae et salutis eius propugnatoribus libertatisque custodibus, hoc est tribunus plebis ^{c)} comparari quodammodo posse

a) Ita Cic. pro Coelio 2 ait: *nemini unquam praesenti Puteolani maiores honores habuerunt, quam absentem in AMPLISSIMVM ORDINEM cooptarunt, i. e. Collegium Decurionum.*

b) Sic a Caesare B. C. I, 13. *Decuriones Auximi*, et ibid. 23. *Duumuiri Corfinienses*, et c. 30. *Du-*

umuiri municipiorum, et *Quatuorviri* in inscript. l. vnic. C. de solut. et liberat. deb. civ. commemorantur. Qua de re omni pluribus exposuit. SIGONIVS de antiquo Iure Ital. lib. II. et EV. OTTO de aedilibus Coloniarum et municipiorum.

c) Qui et ipsi plebis iudices et DEFENSORES dicuntur ab EUTROPIO, I, 13. Hauerc.

posse viderentur. Atque hos quidem, sicuti caeteri magistratus municipiorum, alio et peculiari nomine *Defensores Ciuitatum* seu plebis fuisse appellatos, reperimus. Fuerunt igitur *Ciuitatum Defensores*, quorum imaginem accurate nos picturos ostendimus, magistratus tribunorum plebis in vrbe ad similitudinem, in municipiis constituti, eo consilio, vt praeter potestatem iuris dicundi quam ipsis concessam, adessent disciplinae, neque paterentur vlli e plebe, (et decurionibus) si quis libertatem eorum atque salutem violare velle visus esset, fieri iniuriam. Iam duae viae, quibus persequar hoc argumentum, demonstrantur; vna latissima illa multisque erroribus et difficultatibus impedita, qua tanquam magistratus, altera breuior atque expeditior, qua vt salutis propugnatores, sese nostri Defensores exhibent: quarum primam deferere nunc quidem cogor, non difficultate et longinquitate itineris, vt ita dicam, deterritus, sed ne alteri disputationis parti aliquid detrahere videar, qua vt supra significauimus, de genere iurisdictionis omnis exponetur. Fuerunt ergo Defensores Ciuitatum salutis earum propugnatores. Quam in rem ne quid temere videar dixisse, duas nobiles Imperatorum, VALENTINIANI, THEODOSII, et ARCADII Constitutiones, vt testes certissimas placet producere, quae quidem inter Constitutiones Defensores commemorare primae putantur ^d).

Rescri-

^d) vid. GOTHOFREDVS *Comment. ad leg. 1. Cod. Theod. de def. civ.*

Rescribunt autem IMPERATORES l. 2. *Cod. Theod. de def. civ.* POTOMIO praef. aug. his verbis: *Defensores nihil sibi insolenter, nihil indebitum vindicantes, nominis sui tantum fungantur officio, nullas infligant multas saeviores, non exercent quaestiones, plebem vel decuriones ab omni improborum insolentia et temeritate tueantur, ut id tantum, quod esse dicuntur, esse non desinant.* Et l. 3. eiusdem *Cod. Theod.* TATIANO P. P. quam Constitutionem superiori illi propter argumenti similitudinem iungendam putamus, haec habentur: *Per omnes regiones, in quibus fera et periculi sui nescia latronum feruet insania, probatissimi quique et districtissimi defensores adsint disciplinae, et quotidianis actibus praesint, qui non sinant crimina impunitate coalescere. Remoueantur patrocinia, quae fauorem reis et auxilium scelerosis impertiendo maturari scelera fecerunt.* Quae ipsae Constitutiones totidem fere verbis in *Cod. Iustin. l. 5. 6. de def. civ.* leguntur. His autem inter se comparatis videtur mihi quidem satis apparere descriptionem *Ciuitatum Defensorum* ante allatam veram neque ineptam fuisse. Etenim summam magistratuum curam in eo maxime fuisse positam, ut, quemadmodum ipsum nomen, (ut id tantum, quod esse dicuntur, esse non desinant,) significaret, tantum salutem ciuitatis omnibus modis tuerentur atque auerent, e verbis eius, quam primo loco laudavi, Constitutionis planissime intelligitur his: *nullas multas infligant, saeviores*

non

non exercent quaestiones, plebem et decuriones ab omni improborum insolentia atque temeritate tueantur. Nam eum fines officii egrederentur, multa quaestionibus exercendis, multis irrogandis insolenter agerent, nominisque adeo, quod de vera officii ratione monere eos debebat, essent immemores, Imperator in memoriam iis nomen et officii partes reuocare, ipsorumque insolentiam atque libidinem effrenem coërcere voluit. Hos igitur Defensores plebis atque decurionum primum locum post Duumuiros occupasse PANCIOLOVS disputat in libello singulari, quem *de magistratibus municipalibus* scripsit Cap. IX, cuius viri auctoritatem ego quoque sequendam esse arbitror, quoniam Defensores praesidium curas negotiorumque grauitatem leuare interdum debuisse legimus, ita vt praesidium quasi vicarii esse viderentur. Nov. XV. c. 6. Quare quum hi Defensores, vt vidimus, salutis maxime publicae curam habere, vicemque parentum plebi exhibere (*l. 4. C. de def. civ.*) deberent, ipsi vt essent probitate, honestate et diligentia conspicui, necesse erat. Qua de causa dicuntur in *l. 6. supra laudata probatissimi e)*, *districtissimi*, hoc est, nulli labori parcentes valdeque industrii: et *l. 12. de exact. Cod. Theod.* ab iis vt spectata sint fidelitate requiritur:

Verba

e) Ita in titulo quodam veteri PROBATICISSIMVS DEFENSOR, apud GRVTERVM p. MXXVI. 9. eiusque DEFENSIO vocatur PROBATICISSIMA.

B

Verba legis haec sunt: *Minores autem possessores Defensor Ciuitatis ad solutionem fiscalium pensitationum spectata fidelitate compellere debet.* Videntur vero hi Ciuitatum Defensores cum iis quodammodo comparari posse, quos iam ALEXANDRI SEVERI saeculo constitutos fuisse, LAMPRIDIUS in eius vita auctor est ^{f)}, ALEXANDER enim SEVERVS inquit: *omnium opificum corpora constituisse dicitur omninoque omnium artium, hisque singulis ex sese Defensores dedit iussitque, quod ad eos iudices pertineret.* Vnicuique enim horum Defensorum quid dubitemus, quin commoda sui corporis curae cordique esse debuerint, ne illud, vt IMPERATOR aiebat, esse desinerent, quod esse dicerentur.

§. III.

*An et quale discrimen intercesserit inter
Defensores Ciuitatum et inter Vindices
Anastasianos quaeritur*

Magna autem oritur difficultas atque quaestio de eo, an ii Vindices, quos IVSTINIANVS in Nouella περί των δημοτων ανύσεως memorat, pro Ciuitatum Defensoribus sint habendi, quum ipsi illi Ciuitatum Defensores l. i. Cod. Theod. si quacunque praedit. potest. Vindices Ciuitatis nominentur. Magnus quidem ille CUIACIUS Obs. III, 14. valde videtur ea de re dubitare, idque

pro-
f) Quorum etiam in L. pen. in fine de Colleg. et corp. mentio fit.

propterea, quoniam ii potius in laudata Nouella a IVSTINIANO vindices videantur appellari, qui exigendis tributis, quorum ad curiales antea exactio pertinuerit ab IMPERATORE ANASTASIO in singulis ciuitatibus fuerint constituti, ita vt verisimile sit IVSTINIANI temporibus in quibusdam ciuitatibus nonnullos ex iis superuisse, praesertim quum Ciuitatis Defensores longe superent aetate illos Vindices Anastasianos. Quae certe ratio mihi valde probatur. Etenim quum Defensores, quorum mentio in Codice Theodosiano fit, iam CONSTANTINI MAGNI temporibus fuisse necesse sit, quoniam HERMOGENIANVS, qui IMPERATORIS huius aetate vixit, in l. i. D. de muner. et honor. eos disertè laudat, quo tandem modo existimari possit, non video, ab IMPERATORE ANASTASIANO, quem longe post CONSTANTINVM vixisse et imperasse novimus, fuisse primum constitutos? sed etiam alia ratio non minus idonea potest afferri, vt pateat, Defensores, de quibus loquimur, a Vindicibus Anastasianis multum diuersos esse. Constat enim, posteriores hosce Decurionum iniquis actionibus fuisse oppositos^{g)}, quum tamen, vt e l. 2. Cod. Theod. de def. civ. intelligitur, nostri Vindices defendere magis Decuriones, quam contra eos pugnare studuerint. Denique ille magnus CVIACIVS, eo quem laudauimus loco, contendere rectè videtur

B 2

7079-

g) vid. CVIACIVS Obf. III. 14.

τοποτηρητῶς ^{b)}), in Nouella περὶ τῶν τοποτηρητῶν a nostris multum distare, quippe quos a Praefecto vel Comitibus, vel Praesidibus iuris dicundi causa missos reperimus.

§. IV.

*Discrimen inter Defensores Ciuitatum,
et inter Alexandriae Iuridicum.*

Qui in aliis Ciuitatibus Defensor dicebatur, is Alexandriae nobilissima vrbe singulari nomine Iuridicus fuit appellatus ⁱ⁾). Hic etiam a IVSTINIANO §. 5. *Instit. de Attil. tut.* in dandis tutoribus cum Defensoribus diserte comparatur, scribente hunc in modum: *Nos autem per Constitutionem nostram huiusmodi difficultates hominum rescantes, nec expeditata iussione Praesidum, disposuimus, si facultates pupilli vel adulti usque ad quingentos solidos valeant, Defensores Ciuitatum vna cum eiusdem Ciuitatis religiosissimo Antistite, vel alias publicas personas, id est, magistratus, vel Iuridicum Alexandrinae ciuitatis tutores vel curatores creare.* Quod ipsum fit l. 30. C. de episcopal. audient. Sed quum haec similitudo Defensoris Ciuitatum cum Iuridico Alexandrino admodum sit exigua, vehementer cauendum est, ne putes Defensorum potestatem et illius Iuridici Alexandrini propterea eandem fuisse, quum hunc multo maiore potestate et dignitate usum fuisse

^{h)} De quo vocabulo praeter MEVRSIVM plura collegit CAN-
GIVS in *Glossario med. et infim.*

Graecit. pag. 1585. sequ.

ⁱ⁾ vid. *Notitia dignitatum vtri-
usque imperii* cap. CXXI.

fuisse non difficile fit intelligere. Mittebatur enim a Caesare iuris dicendi causa, potestatemque habebat, de causis ciuilibus etiam maximis cognoscendi: quod PANCROLVS in libro *de magistratibus municipalibus* c. 8. praeclare docuit. Defensori vero non licebat, si causa summam quinquaginta solidorum excederet, quidquam statuere l. i. Cod. Iustin. de def. civ. Sed de hac re quoniam tota disputatio ad locum de iurisdictione pertinet, plura alio tempore dicentur. Vnum STRABONEM, ne quid temere sumsisse videar, auctorem placet producere. Tradit enim ille lib. XVII. p. 1147. Almelov. diserte, secundum a Praefecto Augustali esse *δικαιοδότην* Iuridicum, qui maximam in plerisque iudiciis habebat potestatem. Verba eius haec sunt: *ὁ μὲν ἐν πεμφθεῖς τὴν τῆ βασιλέως ἔχει τάξιν ὑπ' αὐτῶ δ' ἐστὶν ὁ δικαιοδότης, ὁ τῶν πολλῶν κρίσεων κύριος* ^{k)}. Qui igitur illuc mittitur magistratus locum Imperatoris tenet: ab eo secundus est Iuridicus, penes quem plerorumque iudiciorum potestas est. E quibus sane arbitror apparere, non nomine tantum sed potestate etiam et dignitate maiorem superioremque Iuridicum Aegypti fuisse iis, de quibus quaerimus, Ciuitatum Defensoribus.

B 3

S. V.

^{k)} Qui locus Strabonis illustratur a TH. REINESIO in notis ad *Corpus Inscriptionum* Cl. II. 26. pag. 271.

§. V.

*Nomina quibus appellantur Defensores**Ciuitatum varia*

Diximus antea, Defensores illos similes quodammo-
do fuisse tribunis plebis Romanorum, quoniam plebem
in primis defendere debebant. Atque eam ipsam ob cau-
sam l. 1. C. de offic. iurid. Alex. *Defensores plebis* vocan-
tur. Verba legis haec sunt: *tanquam si apud virum cla-
rissimum moderatorem provinciae vel magistratus, vel De-
fensores plebis instrumenta habita dicerentur.* Sed etiam
Vindices vnius cuiusque Ciuitatis l. 1. Cod. Theod. si
quacunque praedit. potest. appellantur. Porro in Con-
stitutionibus communi *magistratum* nomine comprehen-
duntur, vid. tot. tit. C. de def. civ. l. 3. C. de def. civ.
Defensores locorum dicuntur: *utili ratione perspectum
est, ut innocens et quieta rusticitas peculiaris patrocinii,
id est, DEFENSORIS LOCORVM beneficio perfruatur, et
apud eum in pecuniariis causis litigandi habeat facultatem.*
Defensores vero Ciuitatum nominantur in rubrica tituli
C. de def. civ. et l. 19. C. de episcop. audient. Praeterea
disciplinae l. 6. C. de def. civ. et Syndici vocantur l. 1.
§. 2. D. de muner. et honor. Personalia sunt ciuilia mu-
nera defensio ciuitatis, id est, vt *Syndicus* fiat. *Curatores
Ciuitatis* l. vlt. quod cuiusque vniuers. nom. l. vlt. de ad-
mini-

ministrat. rer. ad ciuit pert. *Curatores reipublicae* dicuntur l. 33. de vsur. l. 4. de decret. ab ord. l. 5. de oper. publ. l. l. et 15. de pollicit. In Asia *ἀγογῆς* dictos fuisse, OECVMENTVS scribit ad Cap. XVIII. Act. Apost. graeco vocabulo *ἐπίμοι* nominantur. Atque haec fere nostrorum Defensorum sunt nomina, quae in variis Iuris ciuilibus locis reperiuntur.

§. VI.

*De origine Defensorum
disputatur*

Posteaquam vero, quinam fuerint *Defensores Ciuitatis*, et quomodo ab aliis eiusdem paene generis magistratibus distingui fecernique debeant, deinde diuersa etiam nomina, quibus in variis Iuris ciuilibus locis insigniri solent, commemorauimus: necesse videtur, vt pauca etiam de origine eorum dicamus. Quo loco statim praemonemus, nihil certi hac de re constitui et definiri posse. Nemo enim veterum Scriptorum ICtorumque, quod quidem sciamus, mentionem eorum fecit ante HERMOGENIANVM lib. epitom. cuius fragmentum est in l. l. D. de muner. et honor. Itaque quum apud nullum ante CONSTANTINI saeculum scriptorem de Defensoribus nostris quippiam legatur, admodum verisimile videtur, eos CONSTANTINI MAGNI aetate demum exortos fuisse?

-orp

fuisse? IMPERATORES quidem LEO et MAIORI-
ANVS Nov. V. valde dubitanter et obscure videntur
loqui, cum dicunt: *de ciuitatum per omnes prouincias
positarum raritate cogitantes, quibus fugientibus inco-
lis, defensorum auxilio destitutis, qui unumquemque ciuium
ab improbitatibus insolentum ANTIQVAE ORDINATIONIS
studio vindicare consueuerant.* Respiciunt enim IMPE-
RATORES verbis illis haud dubie ad l. 2. Cod. Theod.
de def. civ. ante laudatam, in qua THEODOSIVS fere
iisdem verbis utitur: *plebem et Decuriones ab omni im-
proborum insolentia et temeritate tueantur.* Caeterum
nomen Defensorum iam ante CONSTANTINI MAGNI
tempora fuisse celebratum, e loco Lampridiano, quem
paullo superius protulimus, satis superque intelligi posse
speramus. Sed quamquam illi opificum Defenso-
res haberent aliquid simile cum Defensoribus Ciui-
tatum, multum tamen ab illis diuersos esse dubitandum
non est.

§. VII.

Eligendi Defensores ratio

In exponenda autem eligendorum Defensorum ra-
tione atque forma tria potissimum obseruabo. Etenim
necesse est, vt doceam, primo, qui inprimis digni existi-
mati fuerint, vt ad hanc dignitatem eueherentur: deinde
quo-

quomodo, postremo a quibus fuerint lecti atque confirmati. Namque, id quod sponte ex iis, quae de muneris eorum partibus supra disputauimus, intelligitur, non omnibus promiscue poterat munus illud deferri, sed vt vitae cuiusque eorum, qui illud vellent consequi atque virtutum, fidei maxime et grauitatis diligenter haberetur ratio, omnino opus erat. Etenim quum accidisset, vt obscuri interdum homines infimoque loco nati legerentur, ita vt valde esset verendum, ne ipsius muneris grauitas eorum leuitate vilesceret, hac re commotus IUSTINIANVS, vti ipse in praef. Nov. XV. profitetur, grauioribus vt huic officio posthac praeficerentur, sapienter iussit, quo pristina et amissa Defensorum dignitas reuocaretur et restitueretur. Quare quamquam e Decurionum Collegio legi haud possent, ex aliis tamen idoneis iisdemque nobilioribus bonaeque existimationis municipibus sumebantur. L. 2. C. de def. civ. *Defensores Ciuitatum non ex Decurionum seu cohortalium corpore, sed aliis personis idoneis huic officio deputentur.* Et Nov. XV. C. 1. haec habentur: *Interim illud sciendum est prius, vt nulli hominum sit licentia defensoris ordinationem declinare, sed inuicem uniuersi nobiliores ciuitatum habitatores hoc ministerium eis adimpleant:* Neque tamen satis erat, generis nobilitate esse conspicuos, qui legerentur, sed vt Christiani essent insuper requirebatur. Quare Iudaeos, Samaritanos aliosque, qui sacris christianis non essent initiati,

ab huius officii dignitate, tanquam profanos, IMPERATOR HONORIVS in l. 8. C. de def. civ. arcet. *Defensores ita praecipimus ordinari, ut sacris orthodoxae religionis imbuti mysteriis.* Quod ipsum auctoritate legis 19. C. de episcop. audient. magis confirmatur. Illud vero admodum durum videtur, multos etiam inuitos recipere muneris illius onus coactos fuisse, ut e Nov. XV. in pr. Cap. I. apparet. Etenim quum nemini beneficium, multo minus munus praesertim eiusmodi, quod multae magnaeque molestiae est, obtrudi posse recorderer, mirum illud videbatur, nec causa vlla huius rei apparebat. Tandem vero ademit mihi aliqua ex parte hanc iniquitatis suspicionem, IVSTINIANVS in eadem Nov. XV, siquidem in ipsa praefatione aliquam huius rei rationem reddit. Quum enim, ut ipsius IMPERATORIS verbis utamur, sensim paulatimque Defensorum nomen ita fuisset conculcatum, et in iniuria potius, quam honestate iacuisset, ita ut viri obscuro, quibus non victus et vita erat sufficiens, praeficerentur huic muneri; visum esse dicit, ut inuiti nobiliores cogentur Defensoris partes suscipere, ita tamen ut certo ordine vnus post alium a Decurionibus eligeretur, adeoque in orbem (κατὰ κύκλον) suo officio quisque fungeretur. Nov. XV. C. I. et 5. §. I. idque propterea ne quis iterum omissis aliis et praeteritis Defensor esse cogereetur. Quod ipsum PAVLLVS l. 16. §. 3. D. de muner. et honor. videtur docere: *Defensio-*

*ensionem, inquit, reipublicae amplius quam semel suscipere nemo cogitur, nisi id fieri necessitas postulet. Si igitur tales, quales diximus, cogniti essent, communi civitatis consensu, interposito etiam potentiorum illustriumque in vnaquaque ciuitate virorum iudicio constituerentur Defensores. Huius rei causa Antistes ciuitatis, clerici, curiales, alique nobilitate praestantes ciues conueniebant. Locum, qui ista plane doceat, hunc (l. 8. C. de def. civ.) accipe: *Defensores reuerendissimorum Episcoporum, nec non clericorum et honoratorum et possessorum et curialium decreto constituentur*: Honorati videntur ii vocari, qui honorem aliquem essent consecuti, possessores autem ditiores ciues intelligo. Comparari eandem in rem potest l. 19. C. de episcop. audient. Id vero eo magis videtur fuisse necessarium, quum ita meo quidem iudicio nullus facile suffragia emendicare posset, omninoque ambitus crimini spes omnis praecideretur. Etenim si quis infimae tantum plebis auctoritate, neque interposito municipum honoratorum diuitumque decreto potuisset Defensor eligi, nonne timendum fuisset, ne leuitas istorum hominum facillime corrumperetur? Quod tamen interdum etiam factum esse, e VALENTINIANI Constitutione manifeste apparet, qua certa quoque multa iis, qui per ambitus viam ad illum honorem peruenissent, constituta erat. Rescribit enim l. 1. Cod. Theod. de def. civ. IMPERATOR VALENTINIANVS*

Eufignio P. P. sic: *Hi potissimum constituentur Defensores, quos decretis elegerint ciuitates: quod si quis ad locum defensionis ambitione peruenerit, confestim sinceritas tua reiectum quinque libras auri fisci utilitatibus, cogat inferre.* Verba quos decretis elegerint ciuitates, ita intelligo: conuocatis municipibus honoratis et curialium decreto, quod l. 8. Cod. Iustin. de def. civ. supra iam laudata magis etiam declarat. Ipsi autem Constitutionis VALENTINIANI vim GOTHOFREDVS in Commentario ad l. i. Cod. Theod. eod. tit. eleganter ita exponit, vt dicat: tutorum et Defensorum Ciuitatis munus quemadmodum idem propemodum fuerit, sic eandem in constituendis vtrisque rationem subesse. Tutores enim, quum pupillos defendere debeant, Defensores plebem tutari debuerint: affectationem seu ambitum in vtrisque suspectum esse, reiiicque ideo vtrisque oportere. Decreto igitur ciuitatis legitime electi Defensores a Praefecto Praetorio confirmabantur; quod e verbis eiusdem Imperatoris VALENTINIANI Constitutionis colligi recte potest his: *Quod si quis ad locum defensionis ambitione peruenerit, confestim tua sinceritas eum reiiiciat.* Praefectus autem Praetorio reiiiciendi habebat potestatem. Sed longe clarissima Imperatoris HONORII Constitutio, cuius auctoritas meam sententiam magis confirmat in l. 8. Cod. Iustin. de def. civ. habetur: *Defensores curialium decreto constituentur, de quorum ordi-*
natione

natione referendum est ad illustrissimam praetorianam potestatem, ut litteris eiusdem magnificae sedis eorum auctoritas solidetur. Fiebat autem haec confirmatio gratis nec ullis electi impensis Nov. XV. C. 6. Nullam enim mercedem habebant, erantque Defensores ἀριστοί, nisi sponte ipsis munusculum forte offerretur, aut in quibusdam ciuitatibus annonam acciperent Nov. XV. C. 6. Vocabulum enim *Salaria* GOTHOFREDVS explicat per σιτήσεις, id est, publicam annonam, in Commentariis ad Nov. XV. At quod ipsis Defensoribus tributum esset beneficium, id vnus cuiusque ciuitatis liberalitas munerari cogebatur. Nam ciuitas pro confirmationis codicillis, si maior esset, quatuor aureos, si minor, tres soluere debebat. Verba, quae id docent, in laudata Nouella C. 6. reperiuntur: *quia vero etiam Defensores Ciuitatum extra omne commodum fiunt, et pro decretis eorum, siquidem ciuitates maiores sunt, quatuor solummodo dabuntur auri foro tuae sublimitatis, si vero minores tres, sicut iam dudum nostris constitutum est legibus.* Sed hac auctoritate atque his commodis Praefecti Praetorio non diu vsi sunt. IMPERATORES enim LEO et MAIORIANVS omne hoc confirmandorum Defensorum ius potestatemque ipsis principibus vindicarunt. Quo pertinent verba Nov. V. MAIORIANI: *Quapropter praeciputionis nostrae tenore percepto vniuersarum ciuitatum quae sunt inhabitantium frequentia celebres, in tuae*

potestatis arbitrio constitutae, municipes honoratos, plebemque commoneas, ut adhibito tractatu atque consilio sibi eligant Defensorem, factumque maturent, ut sub hac solemnitate desideria urbium singularum ad nostram mansuetudinem dirigant, quia ipsos provinciales propter expensas vel itineris laborem ad comitatum venire non patimur, ut compertis eorum moribus atque personis, quos praeter ambitum dignos tali ministerio et honore iudicemus, idoneos Defensores confirmatio constituat. Iubet igitur IMPERATOR nomina electorum et decreta ad se perferri, ut cognitis eorum moribus atque personis iudicari possit, qui digni reperiantur, ut ab ipso confirmentur. Caeterum electus certa iurisiurandi formula, eaque ab aliis diversa adstringebatur. Nov. XV. C. 5. l. 19. C. de episcop. audient. Nam quum ii, qui vel ex iurisdictione sua iudicandi haberent facultatem, vel qui ex recepto causas dirimendas suscepissent, omninoque omnes Romani iuris disceptatores iurare deberent, se iudicaturos: QVOD IVSTIVS ET MELIVS VISVM FVERIT: Defensores Ciuitatum iurare oportebat: SE OMNIA SECVNDVM LEGES ET IVRA FACTVROS. Adscribam ipsam illam formulam ex Auth. Hodie Cod. de iudiciis. Hodie iurant: *se facturos secundum quod eis visum fuerit iustius et melius*, exceptis Defensoribus Ciuitatum, qui iurant: *omnia secundum leges et iura se facturos*. Quae si omnia rite atque legitime erant peracta, decreti

for-

formulam accipiebant, quam ipsam peculiari tabula e
CASSIODORII L. VII. II. Variar. adiciendam putavi.

FORMVLA DEFENSORIS
CVIVSLIBET CIVITATIS

SI AD CVIVSLIBET NEGOTIVM PERAGENDVM TA-
LIS ELIGITVR, QVI CONSILIO ET GRAVITATE LAV-
DETVR, QVANTO PRAESTANTIOR ESSE DEBET QVI
SVSCIPIT NEGOTIA CIVITATIS NAM SI PERICVLVM
EST VNVM DECIPERE QVOD ERIT IMPAREM TANTO-
RVM IVDICIO EXTITISSE CAUSA ENIM MVLTORVM
BENE ACTA NOBILITAT QVANDO TOTVM BONO
PROPOSITO AGERE CREDITVR QVI GENERALIBVS
DESIDERIIS ADESSE SENTITVR DEFENSOREM TE
ITAQVE ILLIVS CIVITATIS PER INDICATIONEM IL-
LAM CIVIVM TVORVM SVPLICATIONE PERMOTA
NOSTRA CONCEDIT AVCTORITAS VT NIL VENALE
NIL IMPROBVM FACERE VELIS QVI TALI NOMINE
NVNCVPARIS COMMERCIA CIVIBVS SECVNDVM TEM-
PORVM QVALITATEM AEQVABILI MODERATIONE
DISPONE DEFINITA SERVA QVAE IVSSERIS QVIA NON
EST LABOR VENDENDI SVMMAS INCLVDERE NISI
STATVTA PRAETIA CASTISSIME CVSTODIRE IM-
PLES ENIM REVERA BONI DEFENSORIS OFFICIVM SI
CIVES TVOS NEC LEGIBVS PATIARIS OPPRIMI NEC
CARITATE CONSVMI.

§. VIII.

§. VIII.

*Præcipua quaedam officii Defensorum
genera commemorantur*

Atque disputationem quidem de ratione atque modo Defensores eligendi, ut fidem, quam supra dedi, liberem, excipit quarundum partium officii ipsorum brevis enumeratio. Animus autem est, pro instituti ratione, eas tantummodo partes persequi, quae magis in defensione quam in iurisdictione versabantur. Summam quidem Defensorum curam in eo potissimum positam fuisse, ut plebem et Decuriones ab omnium improborum insolentia, temeritate et arrogantia, immo ab praesidum rectorumque provinciarum iniuriis, ne hi potestate ad opprimendos ciues abuterentur sua, vindicarent atque defenderent, duae illae nobiles THEODOSII Constitutiones l. 2. 3. Cod. Theod. de def. civ. supra iam a nobis laudatae clarissime abundeque docent: quibuscum ut intelligatur plane, quanta cura huius Imperatoris atque providentia in excitando studio officii Defensorum fuerit, omnium plenissimam constitutionem, quae est in l. 4. Cod. Iustin. eod. tit. comparasse neminem poenitebit. Sed praeter has officii partes, quae cum in his, tum in aliis eiusdem principis Constitutionibus ¹⁾ laudantur, alia

¹⁾ l. vlt. de lit. et itin. custod. l. 12. de exact. l. 23. de suscept.
l. vnic. si quacunq. praedit. potest. l. vlt. de fabricens. l. 59. de curs.
l. 12. de re milit. l. 9. de censit. l. 2. publ. l. 8. de donat. Cod. Theod.
de tenon. l. 4. de iis, qui administ.

alia sunt quaedam genera, quae videantur digna, vt a nobis commemorentur. Primum igitur debebant videre et curare, vt praedelegationes, seu descriptiones, quibus exigendorum tributorum annonaeque modus continebatur, quaeque ante tempus emittebantur, per spatium bimestre ante tributorum illationem, celeberrimis in locis, ad omnium peruenirent notitiam, ne quis forte plus per ignorantiam solueret, quam, missa delegatione, debuisset. Id quo melius planiusque intelligatur l. 3. Cod. Theod. de indict. praesertim quum abesse eam a Codice Iustiniano animaduernerim, totam hic adscribere placet. *Cum omnis hoc, inquit, IMPERATORES THEODOSIVS et VALENTINIANVS, Aegyptiaci tractus possessoribus conducibile videatur, vt ante Kal. Mai. praedelegatio manifestetur in locis, ne per ignorantiam conlatores ad anni prioris exemplum ante delegationem missam ea cogantur exsoluere, quae postmodum indebita, missa delegatione, forsitan prouocauit euentus: scriniariis videlicet sedis excelsae modis omnibus ordinata salubriter impleturis, ita vt augustalini officii et cohortalis et Defensoris discrimine in locis celeberrimis per dismenstruum tempus ad omnium perueniat notitiam.* Mandant igitur, vt apparet, hanc curam Imperatores non solum officialibus praefecti augustalis et cohortalibus cuiusque prouinciae, sed etiam Defensoribus singularum ciuitatum. Atque hos ipsos reperimus

mad

D

opor-

oportuisse, si mancipia publica ad fugam forte fuissent sollicitata, ea requirere, et sollicitatores auctoresque fugae cogere, non modo restituere fugitivos, sed etiam pro singulis mancipiis ita sollicitatis, singula alia red- dere: aut ab iis pro singulis mancipiis non restituis bina alia exigere, l. 5. Cod. Iustin. de serv. fugit. *Man- cipia*, inquit, IMPERATOR CONSTANTINVS *di- versis artibus perditā, quae ad rempublicam pertinent, in iisdem ciuitatibus placet permanere, ita ut si quis tale mancipium sollicitauerit, vel auocandum crediderit cum seruo altero sollicitatum restituat, duodecim solidorum summa inferenda reipublicae illius ciuitatis, cuius mancipium abduxerit. Libertis quoque artificibus, si sollicitati fuerint, cum eadem forma ciuitati reddendis: ita ut pro fugituo seruo, si sollicitudine Defensoris duo vicaria mancipia exigat, nec beneficio principali, nec venditione in eius persona de caetero valituris. Prae- terea iniuncta Defensoribus etiam cura erat haereticorum coetus inhiibendi l. 40. de haeretic. l. 4. ne sanct. baptis. l. 12. Cod. Theod. de pagan. aedium etiam cu- ram habuisse l. 46. Cod. Iust. de damn. infect. docet.*

§. VIII.

*Quamdiu in illa potestate fuerint,
demonstratur*

Defensorum munus olim quinquennale fuisse l. 4. Cod. Iustin. de def. civ. diserte docet, vnde fit, vt qui- dam

dam putent, credo temere ^{m)} ipsos Defensores fuisse propterea *Quinquennales* appellatos. Posteriori aetate tantum per biennium, quo finito alii honestiores ciues, singuli in orbem huius muneris onus sustinere debebant, defensionis curam habuerunt Nov. XV. Epil. *Nunc autem Defensores existentes, si quidem placiti videantur, etiam ipsos inscribi circulo et biennio complere curam, et siquidem iam biennium in ea cura habent, remoueri Defensoris sollicitudine.* Poterant autem illi munere, etiam biennio nondum exacto abire, vel si quid viderentur non recte agere Nov. XV. C. 2. tum enim statim munere priuabantur a praefecto praetorio, vel lege atque auctoritate Principis peculiari. Qua Principis auctoritate neglecta multa eadem lege constituta afficiebantur. Atque hoc modo magistratu abire iussis Vicarii non dabantur: Defensor enim Vicarium sibi non poterat substituere Nov. XV. Cap. 2. sed alii Defensores e circulo, vti supra significauimus, legebantur.

D 2

S. X.

^{m)} GOTHOFREDVS ad l. i. Cod. Theod. de Med. et Prof. eleganter docet: *Quinquennales* in quibusdam municipiis et coloniis maiores magistratus *Duumuiros* imprimis


appellari: quod ipsum e titulo quodam apud GRVTERVM CLXVIII. 6. vbi *DVOVIRI* *Quinquennales* memorantur, apparet.

§. X.

Conclusio

Atque haec nobis nunc quidem ob temporis angustias, quibus inclusa erat nostra qualiscunque industria dicenda videbantur. Plura, fatemur, potuissent de singulis capitibus disputari: sed diligenter intelligebamus esse cauendum, ne alteri disputationis parti detraheretur quidquam. Quare nihil diximus de commodis Defensorum eorumque officialibus: de quibus omnibus altera libelli, quae hanc breui fortasse excipiet parte, pluribus differetur. Hanc enim tantum praeparationem esse volumus, qua via ad maiora grauioraque huius loci capita muniretur.







141

PROCANCELLARIVS
 D. FRIDERICVS ALEXANDER
 K V N H O L D
 PAND. P. P.
 PROMOTIONEM
 I N
 VTRIVSQVE IVRIS DOCTOREM
 PRAECLARISSIMI CANDIDATI
 CHRISTIANI FRIDERICI FLEISCHERI
 DRESD.
 D. XVIII. OCT. CIOIDCCCLIII.
 SVSCIPIENDAM
 INDICIT

